

CAPUT II.

De Privilegiis Ecclesiasticorum.

18. *Quibus in rebus ecclesiastici sint exempti a potestate laicali.* — 19. *De privilegiis canonis et fori quoad personas.* — 20. *Quoad bona.* — 21. *Quis gaudeat huiusmodi privilegiis.* — 22. *De beneficiatis.* — 23. *De tonsuratis.* — 24. *De illis qui deposuerunt habitum.* — 25 ad 28. *De immunitate piorum locorum.*

18. Ecclesiastici jure divino exempti sunt a potestate saeculari quoad materias spirituales vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones praelatorum, etc.; ut constat ex concilio Romano ¹.

Quoad personas vero et loca ecclesiasticorum, quaestio est: *utrum sint, vel ne, exempti jure divino?* Multi negant, ut Lessius, Cajetanus ^{a)}, Becanus et Salmant. ². Multi alii affirmant, ut Suarez et Azor, Laymann, etc.; et probant ex pluribus textibus et praesertim ex cap. *Quamquam, de censib., in 6^o*, et ex Tridentino ³: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus [esse] constitutam.* — Certum tamen est, ecclesiasticos tum jure canonico tum civili, non esse subjectos foro laicali. Vide jura apud Lessium ⁴.

Caeterum tenentur in conscientia illis *legibus civilibus*, quae non repugnant eorum statui; non vi *coercitiva*, ut dicitur, sed *directiva*, ut uniformentur communitati. — Est commune cum Salmant. ⁵.

19. - Ecclesiastici ergo gaudent ⁶ exemptione circa suas *personas*. — Praeter privilegium *canonis*, cujus vigore incurunt excommunicationem qui injuste illos

¹ Can. *Bene*, dist. 96 (ex concil. Roman. III, sub Symmacho, can. 1) et cap. *Decernimus 2*, de judiciis. - *Less.*, lib. 2, cap. 33, n. 28 et 30. - *Becan.*, de Sacram., cap. 26, qu. 9, n. 6 et seqq. - ² Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 6. - *Suar.*, Defensio fidei cath., lib. 4, cap. 9. - *Azor*, part. 1, lib. 5, cap. 12. - *Laym.*, lib. 4, tr. 9, cap. 8, n. 1. - ³ Sess. 25,

18. - ^{a)} Cajetanus, *Sum.*, v. *Excommunicatione*, cap. 31, non aliud habet quam verba sequentia: « Libertas Ecclesiae, inquit, non comprehendit nisi illa in quibus Ecclesia, quatenus Ecclesia, est libera, undecumque illa habeat, sive a Deo, sive a Papa, sive ab Imperatore ». Allegatur tamen a Salmant. ut asserit S. Alphonsus.

percutiunt; gaudent clerici *immunitate*, ne puniantur a curia laicali; ut patet ex legibus a Becano relatis ⁶. — Et quamvis jus civile eos eximat tantum in causis civilibus, et in criminalibus eas recognoscendi sibi jus reservaverit, nullatenus clericos condemnando nisi post degradationem; nihilominus jus canonicum totaliter eos eximit. Vide Salmant. ⁷.

Verum, his non obstantibus, in aliquibus casibus potest potestas laicalis ad clericorum *carcerationem* procedere; ut si, exempli causa, aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret *in flagranti* patrantem aliquod delictum. Tunc enim potest ad ejus *carcerationem* procedere, ut postea remittat curiae ecclesiasticae. Quod si interdum illum invenerit, potest armis prohibitis spoliare. — Potest etiam in quibusdam casibus illum *castigare* (sed non poena mortis); si ille rebellionem adversus principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et a proprio episcopo de hoc non esset punitus. — Insuper probabiliter potest supplicio afficere clericos *notorie sodomitus*; hi enim a Leone X ^{a)} et S. Pio V omni

de Reform., cap. 20. — ⁴ Lib. 2, cap. 33, dub. 3, n. 18 et 19; et dub. 4, n. 33 et 34. — ⁵ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 16. — ⁶ De Sacram., cap. 26, qu. 9, n. 6, v. *Clerici ergo*. — ⁷ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, nam. 24. - *S. Pius V*, Bulla *Horrendum*, § 3, 30 Aug. 1568, in magno Bullar. Mainardi.

19. - ^{a)} Leo X, in sua constitutione *Supernae dispositionis*, data die 5 Maji 1514 (in Magno Bullar. Mainardi), haec de sodomitis § 35, decrevit: « Si qui vero tam laicus quam clericus, de crimine propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae, convictus fuerit, poenis per sacros canones aut jus civile respective impositis puniatur ».

clericali privilegio spoliati sunt. Vide Salmant. ¹.

Caeterum, pro quocumque alio crimine, clerici nequeunt puniri a curia saeculari, cap. *fn. de vita et honestate cleric.*, et cap. *In audientia 25, de sent. excom.* ^{b)}.

Exemptio
quoad bona.

20. - II. Gaudent ecclesiastici exemptione a foro laicali quoad *propria bona*, tam ecclesiastica, quam quocumque alio modo acquisita; unde, respectu illorum, non tenentur solvere ullum vectigal, ut habetur ex cap. *Quia nonnulli* et cap. *Clericus, de immun. eccl., in 6^o*, et ex l. *Sancimus 22, C. de sacros. eccl.* Vide Salmant. ². — Clerici vero *negotiatores*, circa bona mere ecclesiastica negotiationi jam destinata, spoliantur omni exemptione ^{a)}, cap. *Quamquam 4, de censibus, in 6^o*. Quoad vero reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem. Salmant. ³ cum Lessio, Molina, etc. — Insuper notandum hic est, quod in casu urgentis necessitatis ^{b)}, potest princeps extrahere e domibus et vendere frumentum ecclesiasticorum. Salmant. ⁴ cum Diana et Molfesio ^{c)}.

Clerici negotiatores
ea privantur.

Clericus
quando possit
carcerari
a laico.

¹ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 18 et seqq., 27 et seqq. — ² Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 35 et seqq. — ³ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 54. - *Less.*, lib. 2, cap. 33, n. 23. - *Molina*, de Just.

^{b)} Cap. *Ex litteris 16, de vita et honest. clericor.*, decernit clericum, qui tertio admonitus, a saecularibus negotiationibus non abstinere, amittere quoad bona, privilegium clericale. Cap. *In audientia 25, de sent. excom.*, statuit clericum, qui ut laicus incedit, arma scilicet militaria portans, habitu clericali rejecto, nisi tertio monitus respiscat, clericale privilegium amittere.

20. - ^{a)} In cap. *Quamquam 4, de censib., in 6^o*, haec habentur: « Ecclesias et personas ecclesiasticas ad pedagia et guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, seu transmittunt ». Hinc recte colligitur eos ad vectigalia seu tributa teneri quoad bona, etiam ecclesiastica, quae negotiationi subjacent; et quidem ipso facto, seu nulla exspectata monitione; quoad reliqua vero bona, circa quae non negotiantur, non nisi post tertiam monitionem.

^{b)} Auctores citati requirunt ut necessitas sit *valde* urgens, et sit periculum in mora; secus recurrendum esse dicunt ad superiorem ecclesiasticum, ut iste clericos ad frumenti venditionem compellat.

21. - II qui gaudent praefatis exemptionibus, tam quoad personas, quam quoad bona, sunt primo omnes *regulares* cum suis novitiis et tertiariis; et etiam Franciscanae tertii ordinis, Carmelitanae, etc., quae deferunt habitum una cum voto castitatis: quemadmodum declaravit Sacra Congregatio ^{a)}. — Insuper *equites* S. Joannis, S. Jacobi Alcantarae et Calatravae; ut probant Bonacina ^{b)}, Filliucius ^{b)} et Diana ^{b)}. Vide Salmant. ⁵. — Insuper omnes clerici in *sacris* constituti.

Regulares
gaudent his
exemptionibus.

Clerici in
sacris.

Clerici in
minoribus.

De aliis vero in *minoribus*, vel simpliciter *tonsuratis*, ita loquitur Tridentinum ⁶: *Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiae de mandato episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut aliqua schola, vel Universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad suscipiendos majores Ordines versetur.* — Atque hoc privilegio gaudent etiam *clerici conjugati*, qui deferunt habitum et tonsuram, et ecclesiae inserviunt. Verum in cap. *ult., de temp. ordin., in 6^o* prohibetur conjugatis

Conjugati
clerici.

et Jure, tr. 2, disp. 342, n. 3 et 5. — ⁴ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 17. - *Diana*, part. 1, tr. 2, resol. 9. — ⁵ Loc. cit., n. 56 et seqq. — ⁶ Sess. 23, de Reform., cap. 6.

^{c)} Molfesius, *tr. 12, cap. 5, n. 85*, de casu omnino diverso loquitur, quidquid dicant Salmanticenses.

21. - ^{a)} S. Congregatio Concilii de tertiariis loquens, viros a mulieribus distinguit; et quidem viros tertiarios, mantellatos, corrigatos, aliosque similes, declarat tunc privilegiis ordinis, cujus tertiae regulae habitum deferunt, potiri, si collegialiter vivunt et cum claustralibus habitent, in *Nullius*, mens. Decembris 1607, lib. 11 decretor., p. 21, ap. Pallottini, v. *Tertiariae*, n. 16; secus, si collegialiter et in communi non vivunt, in *Nullius*, die 19 Decembris 1620, lib. 12 decretor., p. 58, Pallottini, *loc. cit.*, n. 17. — Mulieres vero eadem S. C. declarat frui debere privilegiis ordinis, cujus tertiae regulae habitum deferunt, si vitam virginalem aut caelibem simpliciter expresseque voverint, etiamsi in consanguineorum vel affinium suorum, aut propriis domibus vel seorsim habitent: ita S. C. in *Nullius*, mens. Decembris 1607, lib. 11. decretor., p. 21, Pallottini, *loc. cit.*, n. 8.

^{b)} Bonacina, *disp. 2, de Excom., qu. 4, punct. 3, n. 9*, de privilegio fori et canonis loquitur; Filliucius, *tr. 15, n. 14*, de privilegio canonis dumtaxat. — Diana vero, *part. 1, tr. 2*,

tonsura, nisi velint religionem ingredi, vel in sacris ordinari, praeuia uxoris licentia ^{c)}. Vide *Lib. VI, n. 827, in fine*.

22. - Igitur privilegio fori gaudent ¹ *beneficiati*, etiamsi nulli ecclesiae inseruiant, neque deferant habitum et tonsuram, ut probabiliter infertur ex concilio, ut volunt Salmant. ¹ cum Philiberto, Diana et Rodriguez adversus Suarez ^{a)}. Et etiamsi non percipiant fructus beneficium neque possideant; sufficit enim quod solum titulum habeant: ut ajunt Garcia ^{b)}, Philibertus et Diana cum Salmant. ² Sufficit etiam capellania vel praestimonium, quae censentur tamquam vera beneficia: sed non sufficit pensio ^{c)}. Vide Salmant. ³ cum aliis.

23. - Gaudent ² clerici *in minoribus*, et *tonsurati*, dummodo habitum simul et tonsura deferant, juxta id quod affirmat concilium: *clericalem habitum et tonsuram deferens*, et ut probabiliter existimant multi doctores cum Castropalao et Barbosa (contra Salmant., qui interpretantur particulam *et pro particula vel*, ita

ut sufficere dicant alterutrum: vide *Lib. VI, n. 827, v. De Clerico*); dummodo ecclesiae similiter inseruiant ^{a)}. Sed quoad ecclesiae servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit), satis est ut alicui ecclesiarum seruiant, etiamsi haec destinata non sit ab episcopo; ut declaravit S. Congregatio apud card. Lambertini ⁴.

24. - Ut vero clerici *in minoribus* constituti *foro* priventur (nam aliud de canonicis privilegio dicendum), non requiritur trina monitio; quia haec requiritur tantum pro beneficiatis, et pro ordinatis in *sacris*, ut deducitur ex cap. *Contingit, de sent. excom.* ^{a)}, vel pro minoristis qui negotiis saecularibus se addicunt, ut habetur ex cap. *Ex litteris, de vita et honest. clericor.* (Vide *lib. VI, n. 827; v. Pro his*) sed sufficit quod habitum et tonsuram dimiserint; quemadmodum pluries declaravit S. Congregatio, et quemadmodum communiter affirmant doctores apud card. Lambertini ⁵ et apud Salmant. ^{b)}: dummodo per longum tempus dimiserint, ut notant

Barb., de Off. et Pot. episcopi, part. 2, alleg. 12, n. 19. - *Salmant.*, loc. cit., n. 64. - ⁴ De Synodo, lib. 12, cap. 6, n. 5, in una *Sentigallien.*, 23 Januar. 1603 et *Neapolitana*, 1 Februar. 1614. Cfr. Pallottini, v. *Presbyteri simplices*, § 4, n. 21 et seqq. - *S. Cong. Conc.*, in dub. 16 Novembr. 1581, et in una *Mediolanen.* 11 Aug. 1595. Cfr. Pallottini, loc. cit., n. 37 et 38. - ⁵ De Synodo, lib. 12, cap. 2, n. 1.

Quando priventur foro.

Quando forum reciperent.

¹ Loc. cit., n. 62. - *Philibert. Marchin.*, de Ordine, tr. 2, part. 1, cap. 15, diff. 1. - *Diana*, part. 1, tr. 2, resol. 29. - *Rodrig.*, Sum., part. 1, cap. 155 (al. 156) n. 2. Cfr. Pallottini, v. *Presbyteri simplices*, § 4, n. 9 et 11. - *Philibert.*, loc. cit. - *Diana*, part. 1, tr. 2, resol. 30. - ² Loc. cit., n. 62, i. f. Cfr. Pallottini, loc. cit., n. 12. - ³ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 62 et 63. - *Castropal.*, tr. 12, punct. 2, n. 7. -

resol. 73, equites illos dicit gaudere privilegio fori et canonis; at *resol. 50*, affirmat eos veros esse religiosos ac immunes esse a gabellis solvendis.

^{c)} Scilicet: cap. *Nullus, fin. de temporib. ordinat.*, in 6^o, prohibet ne tonsura uxoris conferatur.

22. - ^{a)} Suarez a Salmanticensibus allegatur, tamquam innuens duo simul requiri: ut scilicet clericus beneficium habeat et alicui ecclesiae deserviat; et re quidem vera Suarez, de *Censur.*, disp. 22, sect. 1, n. 11, vers. *Dixi tamen*, asserit clericum minoribus initiatum, privilegium fori amittere, si continuata consuetudine non utatur habitu et tonsura clericali: « Quod intelligendum est, inquit, nisi beneficium ecclesiasticum habeant et alicui ecclesiae inseruiant, aut ex licentia episcopi ad id se praeparant ».

^{b)} Garcia, de *Benef.*, part. 2, cap. 2, n. 8 et 9, dicit quidem satis esse titulum haberi; sed n. 14, hoc intelligendum esse ait de eo qui habitum clericalem defert; quod non animadverterunt Salmanticenses.

^{c)} Attamen S. C. C. declaravit clericum ob-

tinentem pensionem, haberi pro clerico beneficiato, ad effectum gaudendi privilegio fori. Vide Pallottini, v. *Presbyteri simplices*, § 4, n. 13. - Si vero clericus sit in minoribus constitutus, eique ut clericus sit in minoribus constitutus super beneficio ecclesiastico ad commodiorem sui sustentationem, requiritur praeterea, nisi episcopus dispensaverit, ut habitum et tonsuram deferat et alicui ecclesiae deserviat. Vide Pallottini, loc. cit., n. 14 et seqq.

23. - ^{a)} Haec S. Alphonsi interpretatio omnino consonat declarationibus S. C. C., quae conjunctim tria illa: scilicet habitum, tonsuram, ecclesiae servitium, requirit. Cfr. Pallottini, loc. cit., n. 31 et seqq.

24. - ^{a)} Cap. *Contingit 45, de sent. excom.*, de quibuscumque clericis loquebatur; sed cum jus novum Tridentini non amplius monitionem requirat pro clericis, in minoribus constitutis non beneficiatis; et aliunde juris correctio sit vitanda quantum fieri potest, praedictum caput *Contingit* in suo vigore remanere quoad clericos in sacris, recte docet S. Alphonsus.

^{b)} Salmanticenses, tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 65, hanc profecto sententiam tenent; sed

Salmant. ¹ cum Bonacina, Suarez, Barbosa et aliis. - Quamvis vero praefati clerici nequeant allegare forum, potest nihilominus episcopus eos a foro saeculari resumere: juxta declarationem S. Congregationis, ab hodierno Summo Pontifice approbatam ^{c)}. Vide Lambertini ².

Illi vero clerici qui habitum resumunt, jure gaudent privilegio; dummodo id in fraudem non faciant. - Quae fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua causa civili jam citatus fuisset ad forum laicale; aut pro causa criminali jam fuisset in carcerem coniectus; aut vero e carcere sub cautione egressus: ut ajunt Salmant. ^{d)} cum Bonacina ^{d)} (adversus Gutierrez et Ceballos ^{d)}) et card. Lambertini ³ cum pluribus decretis S. Congregationis.

Magna vero quaestio est, utrum potestas laicalis possit cognoscere causas innocentium adversus ecclesiasticos. - Quidam theologi absolute affirmant; sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt, quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad superiores ecclesiasticos majores. Vide Salmant. ⁴.

25. - *Immunitas* autem ecclesiastica *locorum*, quoad asylum delinquentium, competit jure ecclesiastico et civili omnibus ecclesiis, quamvis interdicto subjectis, sive pollutis, et etiam dirutis (nisi omnino

Jus asyl. quibus locis competat.

¹ Loc. cit., n. 65. - *Bonac.*, disp. 10, de octavo praec., qu. 2, punct. 1, § 4, n. 15. - *Suar.*, de Censur., disp. 22, sect. 1, n. 11. - *Barbosa*, loc. cit., n. 20. Cfr. etiam Pallottini, loc. cit., n. 39 et 40. - ² De Synodo, lib. 12, cap. 2, n. 3 et 4. - ³ Loc. cit., cap. 3, n. 1 et 2. - *S. Congr.*, vide

praesulis auctoritate fuerint profanatae), earumque capellis, sacristiis, coemeteriis, etiam ab ecclesia separatis, muris, campanilibus, tectis, atriorum gradibus cum quadraginta passibus ultra pro ecclesiis cathedralibus, et triginta pro aliis ecclesiis (sed hoc intelligendum de illis, quae sunt positae extra moenia urbis vel loci), dummodo non intercedat via publica aut aliqua saecularium domus: aliud vero est, si domus sit alicujus clerici. Vide Salmant. ⁵. - Gaudent eadem immunitate hospitalia in quibus exstat aliqua capella publica, oratoria ab episcopis erecta, palatium episcopale, et domus regularium cum suis dormitoriis, claustris, hortis, et porticibus ante ecclesias vel monasteria. Vide Salmant. ⁶.

26. - Omnes vero *delinquentes*, dummodo sint *christiani*, licet haeretici aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad praedicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate. Et in hoc reprobatur quaelibet consuetudo in contrarium ⁷.

Excipiuntur tamen in bulla Gregorii XIV latrones publici, depopulatores agrorum, qui committunt homicidium ^{a)} per proditorium vel per assassinium (sed regnans Summus Pontifex exceptit omnia homicidia pro tota Ecclesia ^{b)}), vel in ipsa ecclesia vel coemeterio; insuper haeretici

Quinam fruuntur hac immunitate.

Pallottini, loc. cit., n. 75 et 76. - ⁴ Tr. 8, de Ordine, cap. 7, n. 76. - ⁵ Tr. 18, de Privileg., cap. 3, n. 83 et seqq. - ⁶ Loc. cit., n. 87 et seq. - ⁷ Cap. *Noverit 49*, de sent. excom., et Auth. 12, C. de sacros. Eccles. - *Gregor. XIV*, Constit. *Cum alias*, 24 Maji 1591, § 3, in Bullar. Rom. Mainardi.

non affirmant eandem communiter a doctoribus teneri.

^{c)} Scilicet: *allatam* a Lambertino. Et duplex est: una scilicet *Leodien.* 9 Nov. 1630 et altera *Neapolitana*, 22 Julii et 1 Aug. 1634; utraque etiam habetur a Pallottini, loc. cit., n. 98.

^{d)} Salmanticenses disserunt non de eo qui *reassumit*, sed de eo qui *assumit* habitum clericalem et ordines minores accipit, post patratum delictum, animo subtrahendi se a potestate saeculari, de quo n. 66, quaerunt an gaudeat fori privilegio, et respondent affirmative, n. 67; et allegant Bonacina, qui tamen hoc negat, disp. 10, de 8^o praec., qu. 2, punct. 1, § 1, n. 15, si statum clericalem assumpserit « hac sola intentione, ut evitet forum saeculare »; secus vero, si « occasione delicti perpetrati, movetur ad assumendum habitum, animo ser-

viendi Deo et simul vitandi forum saeculare ». - Ceballos autem, de *Cognit. per viam violentiae*, part. 2, qu. 44, asserit eum de quo Salmant. loquuntur, liberari a jurisdictione saeculari, « cessante fraude ». - Gutierrez demum, in suis *Practic. quaest.*, lib. 1, qu. 5, n. 3, affirmat eundem subjeci potestati saeculari ratione causae et bonorum, non autem respectu personae, si in fraudem clericalem statum assumpserit.

26. - ^{a)} Vel etiam « mutilationes membrorum ».

^{b)} Benedictus XIV, per bullam *Officii nostri ratio*, 15 Martii 1750, ab ejusmodi immunitate excipit homicidium, quod « non casu vel ex propria defensionis necessitate » patratum fuerit; sed exceptio ista valet pro iis dumtaxat locis, qui temporali S. Sedis dominio, mediate

et rebelles contra eandem personam principis. Vide Salmant. ¹ cum Suarez, Castropalao, Pellizzario, Gutierrez, etc. Et in casibus clare exceptis, potest iudex saecularis ex se extrahere ab ecclesia delinquentes, juxta communem praxim. — In dubio autem, iudicium exceptionis spectat ad episcopum; ita Salmant. et alii. Vide Salmant. ²

Praeter delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate; quemadmodum gaudent debitorum ad ecclesiam confugientes. Salmant. ³.

27. - Quaestio est: *utrum clerici et religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum praesulum?*

Affirmant multi, ut Barbosa, Bordonus, Gutierrez ^{a)}, quibus suffragatur quaedam declaratio S. Congregationis ^{b)}; atque haec sententia est probabilissima, ut ajunt Salmanticenses. — Nihilominus ipsi, cum sententia communissima Suarez, Castropalao, Laymann, Bonacinae, Silvestri aliorumque, negant: tam vigore bullae Gregorii XIV, quae, respectu praefatae immunitatis, loquitur tantummodo de laicis: *Ut laicis ad ecclesiam confugientibus, etc.*; quam vigore communis et jam receptae consuetudinis; alias enim religiosi, semper in monasterio commorantes, difficulter possent puniri.

¹ Tr. 18, de Privileg., cap. 3, n. 91. - *Suar.*, de Relig., tr. 2, lib. 3, cap. 11, n. 18 et 19. - *Castropal.*, tr. 11, punct. 7, n. 10. - *Pelliz.*, tr. 8, cap. 5, n. 33. - *Gutier.*, Practic. quaest., lib. 3, qu. 6, n. 4. - *Salmant.*, loc. cit., n. 121. — ² Loc. cit., n. 96, 120 et 121. — ³ Loc. cit., n. 94 et 95. - *Barbosa*, de Jure eccles., lib. 2, cap. 3, n. 137. - *Bordon.*, Variar. Resolut., resol. 1, n. 18. - *Salmant.*, loc. cit., n. 93. - *Suar.*, de Relig., tr. 2, lib. 3, cap. 10, n. 5 et seqq. - *Castrop.*, tr. 11,

Sicuti vero possunt superiores ecclesiastici (episcopi et eorundem vicarii) extrahere proprios subditos ab ecclesia; ita quoque, si opus sit, possunt eandem extrahendi licentiam curiae saeculari concedere. Salmant. ^{c)}. — Episcopus vero nequit extrahere suos clericos ab ecclesiis regularium; non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca a sua jurisdictione exempta. Salmant. ⁴.

28. - *Extrahentes* vero, aut illi qui tentaverint extractionem, incurrunt excommunicationem *ipso facto*; a qua nequeunt absolvi nisi a Pontifice. — Quidam DD. opinati sunt, hujusmodi excommunicationem posse absolvi etiam ab episcopo; ita Salmant. ⁵ cum Bonacina ^{a)}, Castropalao et aliis. Id tamen negandum, cum Fagnano ⁶, Farinacio et aliis; nam Gregorius XIV declaravit, quod violatores immunitatis incurrunt censuras omnes et poenas prius impositas a canonibus, conciliis et aliis Pontificibus, iis qui violant libertatem, his verbis: *Declaramus, eum ipso facto censuras et poenas easdem incurrere, quae contra libertatis, juris et immunitatis ecclesiasticae violatores, per sacros canones et conciliorum generalium nostrorumque praedecessorum constitutiones, sunt promulgatae.* Contra vero ha-

disp. un., punct. 7, n. 17. - *Laym.*, lib. 4, tr. 9, cap. 3, n. 11. - *Bonac.*, disp. 3, de 1^o praec. decal., qu. 7, punct. 5, n. 5. - *Silvest.*, v. *Immunitas III*, quaer. 3, vers. *Tertium*. — ⁴ Tr. 18, de Privileg., cap. 3, n. 123. — ⁵ Loc. cit., n. 117. - *Castrop.*, tr. 11, punct. 12, n. 7. — ⁶ In cap. 27, *Cum pro causa*, de sent. excom., n. 15 et seqq. - *Farinac.*, de Immunit. Eccles., append., cap. 20, n. 315. — *Gregor. XIV*, Const. *Cum alias*, § 8.

Violantes
asylum ex-
communicantur.

Excommuni-
cacio re-
servatur
Papae.

vel immediate subjiciuntur, et « aliis regnis, provinciis atque ditionibus, ad quas dictae praedecessorum nostrorum constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, sive per viam concordati, extensae et ampliatæ fuerunt ». Ita § 13.

27. - ^{a)} Gutierrez, *Practic. quaest.*, lib. 3, qu. 3, n. 1, sententiam hanc affirmativam « in puncto juris veriore quoque et tenendam » censet; sed n. 3, de negativa sententia dicit: « Ita est intrepide tenendum in praxi, attento dicto usu et consuetudine ».

^{b)} Barbosa, *loc. cit.*; et Diana, *part. 6, tr. 1, resol. 26, quaer. 10*, adducunt declarationem S. C. Epp. et Regg. in una *Tropien.* 29 Januarii 1617, et aliam de die 17 Augusti 1618. Sed quidquid sit de harum authenticitate, duae

aliae similes reperiuntur: una scilicet S. C. C. apud Pallottini, v. *Immunitas ecclesiastica*, n. 1; alia S. C. Epp. et Regg., de die 11 Augusti 1758, apud Bizzarri Collectan., p. 365, edit. 1863.

^{c)} Salmanticenses, *tr. 18, de Privileg.*, cap. 3, n. 120, ut citat S. Alphonsus, de alio casu tractant; et negant in juris rigore extractionem in casibus exceptis, ad iudicem saecularem pertinere, nisi de licentia episcopi vel ejus officialis; addunt tamen, iudices laicos, ex recepta consuetudine, posse id efficere inconsulto episcopo.

28. - ^{a)} Bonacina, *disp. 3, de 1^o praec. decal., qu. 7, punct. 11, n. 2*, probabilem utique existimat hanc opinionem; sed infra cum S. Alphonso consentit, his verbis concludens:

betur ex Paulo II ¹, quod olim adversus violatores ecclesiasticae libertatis, excommunicatio papalis jam inflictæ fuerat.

Nec obstat dicere, prius Pontifici reservatam esse tantum violationem libertatis quae personas respicit, non autem violationem immunitatis quae respicit loca; et quod, tametsi a Gregorio lata fuerit excommunicatio contra violatores immunitatis, minime tamen fuit illa Papae reservata; reservatio autem excommunicationis, nisi exprimat, facta non censetur. Respondetur enim quod Gregorius, cum violationi immunitatis eandem imposuerit censuram, quae prius imposita erat violationi libertatis; si reservata erat censura quoad laesionem libertatis, est etiam reservata quoad laesionem immunitatis. — Tanto magis quod Clemens VIII,

¹ Cap. *Etsi dominici 3*, de poenitent. et remission., in Extrav. com. - *Clem. VIII*, Decr. de die 9 Januarii 1601; cfr. Bizzarri, Collectan., p. 17, edit. 1863; et Decr. de die 26

duobus decretis ab ipso emissis super casus Papae et episcopis reservatos, in primo decreto prohibuit omnibus confessariis ^{b)} absolvere a quocumque casu reservato Pontifici; in altero autem, inter casus papales quos ibi enumerat, docet adesse violationem immunitatis, juxta bullam Gregorii XIV. Caeterum satis erat quod laesio immunitatis vocaretur casus papalis, ut ab episcopis nequiret absolvi. — Hoc tandem Fagnanus ² refert sic decisum fuisse a S. Congr. Concilii.

Deinceps advertendum hic est, quod religiosi qui expellerent a suis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem, ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et rite id facere possunt. — Salmant. ³.

Religiosi
expellentes
delinquentem non ex-
communicantur.

Nov. 1602, ibid., p. 18. — ² In cap. 27 *Cum pro causa*, de sent. excom., n. 36. - *S. Congr. Conc.*, vide apud Pallottini, v. *Abolutio*, § 4, n. 16 et 17. — ³ Tr. 18, de Privileg., cap. 3, n. 118.

« Non nego tamen quin probabilis sit et in praxi tutior et sequenda opinio... simpliciter asserentium hanc censuram ob violationem immunitatis contractam, reservatam esse Summo Pontifici ».

^{b)} Decretum Clementis VIII id prohibet omnibus confessariis « per universam Italiam extra Urbem degentibus »; et Urbanus VIII,

annuente S. C. Epp. et Regg., die 17 Novembris 1628, prohibitionem extendit ad confessarios, « tam intra quam extra Italiam degentes ». Vide Thesaur. Resolution. S. C. C. in una *Colomien.*, 16 Nov. 1720. Cfr. etiam apud Bizzarri, op. cit., pag. 23 et 24, Decretum S. C. Epp. et Regg., die 7 Januarii 1617, de mandato Pauli V de hac materia editum.